



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Siticulositas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Cernere olim erat in littore, quod è regione majoris Sirtis inter Libyam & Ægyptum porrigitur, columnam quandam, in qua vir moribundus cætiatus erat, cuius pedes Serpens impactis dentibus affigebat, spirisque volubiliter implicabat. Erant & mulieres aliquot, quarum alie aquatum libant, alie aquam decumbenti propinabant, adiacebant passim & struthionum ovum hinc inde strata temere. Quæ quidem species tota profus hieroglyphica hominem significabat bibacissimum, vel ardentissima confectum siti, ut Lucianus interpretatur, id quod etiam ad totius illius regionis naturam indicandam accommodari potest: nam ea siti laborat in primis. Serpens vero ille circa pedem obvolutus & modicus inhærens, Dipsas erat. Veneno vero hæc est plurimo & immedicabili, quosq; momorderit, usq; adeo inflammat, ut propemodum exardescere videantur, ac igne veluti circumfuso concremari. Supremè vero sitiunt, quoque magis potant, eo potandi avidiores sunt, ut sitis es nulla aquarum vi sedari posse videatur: verum eo magis sævire quo magis alluitur & irrigatur, perinde ac si quis ignem oleo superfuso extinguere conaretur. Hinc non infacete nomen confinxit Ovidius, cum lenam quandam temulentam, Dipsadem appellavit:

— Est quedam nomine Dipsas anus.

Ex re nomen habet, nigri non illa parentem
Memnonis in roseis sobria vidit Equis.

Neque forte importunum fuerit, Epigramma quod olim in Framarianum facetissimum a vo nostro scurram lusimus, Ovidiano lusui subjicere. Id est hujusmodi:

<i>Narrabat quidam vim Dipsados exitialem</i>	<i>Rite dua dextra famula, totidemq; sinistra,</i>
<i>Perpetuam insudat quæ pede fixa sitim:</i>	<i>Hæc gerit, hæc pleno vase propinat aquas.</i>
<i>Nempe sitim, tria quam nequeant extinguere Nili</i>	<i>Illæ propinatis alias superingerit, illa</i>
<i>Ostia, vel magnis stagna perhausta cadis:</i>	<i>Nec moni, nec requies pocula mille parat.</i>
<i>Interiore loco Libya, Garamantas ad ipsos:</i>	<i>Frammarians ad hæc, hæc tibi quærit amant</i>
<i>Quæ fovet arenti Struthionum ova solo.</i>	<i>Figat ut illa meos officiosa pedes.</i>
<i>Quippe ubi quis miser exspatiatus forte per arva,</i>	
<i>In pede fulminei vulnere dentis habet.</i>	

Deut. 8. 15. Sapienter itaque, ut reliqua, Moyses Deuteronomio inter maxime perniciofa animalium genera Dipsadem posuit, ubi terrificam illam describit solitudinem, in qua erat Serpens flatu adurens, quippe Basiliscus, & Scorpio animal insidiosissimum omnium, mox atjecit, & Dipsas, quod ut atrocius redderet, & subjecit, & nullæ omnino aquæ, quæ scilicet opem essent aliquam allaturæ. Eadem de causa Apollonius Poeta terram aridam Dipsadem vocat. Admiratur autem Aphrodiseus, cur illi quos animal hoc momorderit, sitim illam intolerabilem Theriaca epota sedent, cum genus id mellis caminis ex siccis & calidis rebus conficiatur: neq; adduci potest id alia ratione fieri, nisi mutuo consensu quodam Viperarum, & quæ admiscentur carnes, antipathiam habere ad versus quodvis animal venenosum.

APPETENTIA. CAP. XXIX.

Sic Artemi. dorus lib. 1. c. 48. **N**equè vero sitis ipsa simpliciter passim intelligenda, sed nonnunquam pro effrænata rei cupiditate. Nam appetentia capitur: nam & sitibundum pro maxime cupidum auctores ponunt: & sitim Onirocritæ nihil aliud præ se ferre autumant, quam avidissimam cupiditatem. Ipsa porro sitis hieroglyphice sæpe ponitur in Divinis literis, ut Ambrosius super hydropico in domo Pharisei curato disserit: nam sitire impium dicit, dum hujus mundi bona concupiscit. Jam & sitire aurum, in hujusmodi significationem passim invenias, non aliter quam & *auri sacra fames* Poeta dixit. Delitescit autem, ut ad Dipsadem revertamur, Anguis id genus in insidiis inter Struthionum ova, quæ Garamantes non ad cibum tantum perquirunt, verum etiam ad vasculorum & poculorum usum: quippe qui propter solum aridum & exustum argilla carent, qua nos vasa nostra fictilia conformamus. Quæ etiam ejusmodi ovis, quæ aliquanto grandiora fuerint, dissecit, elegantissimos sibi pileos faciunt, ex ovibus singulis binos, quibus capita obtegant, eoque gestamine plurimum deleantur.